

dulis cum CCC. Civibus Lucanis (quod castrum erat prope Blentinam) de quibus postea Pisani rehauerunt omnes suos carceratos, qui erant Lucæ. Ad quod castrum vincendum Pisani fuerunt cum quinquaginta navibus, plattis, & schafis, & cum XII. manganis ordinatis in platis, cuius castrum habitio fuit Anno Domini 1148. nono Calend. Aprilis in die Luna Sancto. Et cum carceratis & spolis exercitus reddiit Pisam. Tunc etiam Pisani sub Anno Domini 1149. stantibus Lucensibus & Pistoriensibus ad obsidionem dicti castrorum de Vurno, devicerunt castrum de Monte di Caffello, & S. Gervasio, & omnia alia castra de Valle Herae tunc habuerunt. Et in festo S. Matthæi per magnum prius præhabitum bellum ac prælium castrum de Planisoli devicerunt, ipsiusque diruentes funditus, homines Pisam & spolia cum gudio reduxerunt. Et in summa dicendo, immanissima & damnosissima, antequam Lucenses Vurnum recuperarent, & continua guerra fuit; & quamvis utraque pars plurima inde damna subierit, Pisani tamen gavisi sunt, quia in vindictam hoc fecerunt de Caffello Aginulfi.

Anno 1146. Balduinus fuit electus Archiepiscopus Pisanius.

Anno 1150. Lucenses apud flumen Caſcinae à Pisani capti fuerunt, & magna pars eorum mortua. Anno vero sequenti, tempore Domini Eugenii Papæ III. Romani confirmaverunt pacem cum Pisaniis.

Anno 1153. XII. Calendas Novemboris de nocte major pars Kinſicæ fuit combusta, & eodem Anno fuit omnium vietiūlum maxima carestia. Tempore Eugenii Senatus renovatur in alma Urbe.

Anno 1154. Fundatus est primus gyrus Ecclesiæ Sancti Johannis, Cionetto Cionetti, & Enrico Cancellario operariis existentibus. Qui Cionettus in Sardiniam pluries ivit, & reduxit de S. Reparata columnas.

Anno 1155. Fredericus Imperator die S. Michaëlis de Septembrio fuit in Roncalia, & misit pro Nunciis omnium civitatum Imperii. Et ipso Anno Tortonam obſedit, & deſtruxit; & sequenti Anno in mense Junio Romam vénit, & Coronam Imperii ab Adriano recepit. Et præliatus est in Portico Sancti Petri cum Romanis, ubi eos devicit, occidit, & in flumine multos demerſit, & plures vinculis mancipavit. Exinde civitatem Spoletinam devicit, & expoliavit; & regratiās multūm Pisanos, qui cum eo fuerunt, de menſe Septembribus in Alemaniā est reverſus.

Anno 1156. Guilielmus Rex Siciliæ in magnam infirmitatem cadens, per tres menses ita aggravatus est, ut mortuus ab omnibus crederetur, & totum Regnum perdidit; sed liberatus, in tribus mensibus revicit totam Siciliæ Infulam. Postea in mense Maji cum maximo exercitu ivit in Apuliam, quam Barones tenebant, inter quos Barones erat Dominus Robertus Princeps Capuanus; qui Barones Apuliam recuperaverunt contra ipsum Regem Guilielmum cum auxilio Confiantinopolitani Imperatoris, qui eis miserat galées XXX. hominibus & theſauro bene armatis. Et sic ipse Rex Guilielmus ipſos postea Barones devicit, & recuperavit Apuliam, & deſtruxit Barim, & Robertum Principem ſupradictum cepit. Unde victoriam de tota Apulia complevit in mensibus Maji, & Junii triumphanter.

A Eodem Anno in Consulatu Cocchi in mense Julio & Auguſto Pisani fecerunt Barbacanæ circa Civitatem, & Kinſicam muraverunt à Turre, ubi poſtuerunt Leonem marmoreum, uſque ad Turrim ſupra Pontem Aufenis. In ſubſequenti verò Anno, mensibus Februario, & Martio, & Aprile circumuerunt Civitatem Caffellis, & Turribus ligneis, & Beretechis pro timore Frederici Regis Romam venientis.

B Anno 1157. In Consulatu ejusdem Cocchi à Mense Aprilis incipientes Pisani uſque ad S. Zenonem muraverunt Civitatem, & uſque ad Portam Calcisanam, & fecerunt foceam à Monte Pifano uſque Pisam; & omnia Civitatis negotia ipſo Anno viriliter tractaverunt, & ex tunc annuatim muraverunt Civitatem.

C Anno 1158. Sexto Calendas Aprilis. Natus est puer in Comitatu Bononiæ in Veneris die Sancto cum barba & dentibus, & pilofus totus. Eodem Anno pridie Calend. Augusti cecidit grando maxima ſuper terram Bononiæ, quæ omnia deſtruxit, homines, & pecudes interfecit; quæ grando fuit variū generis, quadrata, rotunda, & cornuta in magnitudinem ovi anferis. Eodem Anno facta eft Turris Meloriae.

D Anno 1158. Supradictus Coccus Consul in Portu Magnali duas Turres fecit; & Fontem ad Sanctum Stephanum pro navigantium utilitate conſtruxit. Sed ipſae duæ Turres non fuerunt completae uſque ad Annum 1165.

Eodem Anno 1158. Fuerunt Pisam combuſtae Turres, à domo & via Guidonis quondam Tedicij uſque ad Turres Petri Albitonis, & omnes ceciderunt, ubi mortui fuit Simon de Parlaſcio, Henricus Uguccionis Villani, Vecchius Bonacii, qui tunc erant Proviſores, & alii. Unde de mandato Conſulum omnia Ballatoria juxta Arnum deſtructa funt.

Anno eodem Guilielmus Rex Siciliæ quarto Cal. Octobris magnum fecit ſtolum CLX. Gallearum, & XXIV. Dromonum, qui portaverunt 4000. milites. Quem ſtolum miſit prædictus Rex de mense Junii contra Imperatorem Conſtantinopolitanum, & pervenit Negropontem, ibique invenit ſtolum Imperatoris, ipſumque devicit & cepit, & etiam cepit ipſam Civitatem de Negroponte, eamque deſtruxit; & ſtolum Imperatoris combuſſit. Mox etiam Civitatem Almiro cepit, & Sanctum Jacobum cum Turre Pisaniorum & ipſum combuſſit, & magnam partem Romaniae deſtruiens, Imperatorem quoque ipſum tristem, & pavidum reliquens, de mense Septembribus ſtolum prædictum cum maximo triumpho ad ſuum Regem Guilielmum in Siciliam reverſus eft.

E Anno 1159. In quarto Consulatu Cocchi, Pisani fe in mirando femper intenti, fecerunt quinque galées ad guardiam maris, & foſſam magnam in Leporare à Cornia uisque prope Petrariam de Tuſi, que fuit perticas 1500. & tres columnas magnas pro Opera Sancti Johannis de Ylba ad dictam Eccleſiam portaverunt. Eodem Anno fecerunt treguam per decennium inter ſe, & Comitem Guidonem, & Senenes, & Pistorienses, & Comitem Alber- tum de Prata ex una parte, & Lucanos, Florentinos, Pratenſes, & Capitanos Garfagni- nos ex alia, pro XX. Annis. Ordinaverunt Pisani pacem inter prædictos ſuos Confocios, & Lucanos, cuius pacis fententia lata fuit per Pisanos & Lucanos die Assumptionis Sanctæ Mariæ. Unde, quia Pisani ſuos non dereliquerunt,